

JOANNIS PAPÆ VII^a EPISTOLA

AD EPISCOPOS BRITANNIÆ

(Mansi, Coll. Conc. tom. XH.)

Joannes episcopus archiepiscopus, presbyteris, et A diaconibus, et universis clericis per Anglorum patriam constitutis.

Congregatis omnibus Anglorum proceribus, qui tunc ad beatum Petrum debebant apostolum, post alterutrum partium congruas ratiocinationes, apostolicæ sententiæ usque adeo sedis prævaluit, ut voluntarie omnes Anglorum clerici sub ipsis vigiliis

* An epistola hæc, quam ex Baluzio, Miscell. t. V, pag. 478, profero, ad Joannem VII, seu potius ad Joannem VI, pertineat, ambigo, cum Angli illi Romæ congregati non alii habendi videantur, quam quos

sancti Gregorii laicalem et sinuosum, sed et eunc- tam habitum deponentes, talares tunicas secundum Romanum morem induerent. Hujus rei gratia, quia et vos pari modo in sanctæ Ecclesiæ nostræ corpore veluti propria membra amplectimur, pro deponendis laicalibus vestimentis et sumendis clericalibus infu- lis secundum Romanæ Ecclesiæ morem auctoritate apostolica monemus.

sanctus Wilfridus secum eo adduxerat ad causam suam defendendam. Quæ si valuerit conjectura, ad Joannem VI potius referenda est. MANSI.

ANNO DOMINI DCCIX.

S. ALDHELMUS,

SCHIREBURNENSIS EPISCOPUS.

(Ex Editione a Doctore J. A. Giles recenter Londini data.)

VITA S. ALDHELMI FARICIO AUCTORE.

Manc, inquit Doctor Giles, *legendam inter Acta Sanctorum editam contuli de novo cum manuscripto qui in Mus. Brit. servatur (Faust. B. IV). Opus in isto codice breviora capitula habet quam edit. impr.*

PROLOGUS.

Sanctorum Patrum pia certamina studiose recolentes, triplici ratione factum esse arbitramur, quod scriptores eorum, subsequentium utilitati servientes, ea summo opere chartis commendarunt. Prima quidem et laudabilior existit cæteris, ut Deus, qui pœnas fidelibus quocumque modo pro se illatas in eorum corporibus patitur, quique virtutem tolerantibus præstat, sua in majestate laudetur. Secunda vero, quatenus sancti, qui tot sudores, jejunia, vigiliis, opprobria, atque algores spontanee a semetipsis sive ab inimicis perpassi sunt, a posteris veræ fidei cultoribus magnifice celebrentur. Tertia autem subsequitur, ut nos illorum instrenui atque imbecilles successores, tanta eorum legendo vel audiendo victoriosissima gesta, mentis nostræ oculos sublevando, sequamur horum inoffensa vestigia.

Unde nos fragiles idiotæ, qui nequaquam opera monachi, sed tantum indigne portamus nomina, sanctissimi Aldhelmi præsulis ortum et vitam, miracula atque doctrinam, utcumque describere, fideliter tamen aggredimur. Verumtamen non ea tantum quæ per eum, summo Opifice præstante, vidimus magna

lia, sed et quæ curiose indagando, in multis reperimus barbarice atque Latine paginis assignata; quorum aliquam partem Romana privilegia diversorumque regum traditiones, sub multorum præsulum abbatumve testimoniis inscripta, nostris adhuc testantur temporibus: necnon ea quæ a veridicis et regulariter monastico ordine degentibus vel ab aliis diverso ordine catholice conversantibus, sæpe audivimus facta per merita servi sui, quæ ipsi aut corporeis oculis viderunt, aut a primoribus suis, jam in cœlesti gaudio ante divinæ conspectum clementiæ congaudentibus, frequenter audierunt; qui se volumen ex virtutibus ejus lucido stylo dicebant legisse, sed Danorum tempore, cum adhuc Christi Ecclesiam persequerentur, perdidisse: qui omnia Deo nostro, illis ignoto, dedicata, aut pedibus conculcabant, aut, ira superante rationem, igne concremabant, seu quocumque modo poterant annullabant. Multa etiam suorum factorum in scrinio, non multum post obitum ejus facto, in quo beata ejus ossa servabantur, antiquiores Patres nostri argenteis laminis ad memoriam posterorum a primis patribus assignata viderunt; et quia istud erat negligentia et vetustate jam pene con-